

CAP. V. De criminibus.

Non permittas privilegiis¹⁵ aliquibus uti nocentes; sed illud solum eis in auxilium observatis, ut undique puri horum quæ eis inferuntur, et innoxii videantur. Homicidia¹⁶ autem, et adulteria, virginumque dirptiones, et invasiones, et oppressiones, ita cum vehementia corrige, puniens delinquentes secundum nostras leges, ut paulatim supplicium alios omnes faciat salvos. — § 1. Præcipue vero officiales¹⁷ tuos retinebis, non permittens eis subjectos nostros depradari¹⁸; neque ut illi officiales videantur quidem tibi, pro veritate autem tuæ præsent voluntati. — § 2. Festinabis etiam consiliarium¹⁹, et quicumque fuerit circa te, assumere virum optimum, et parum undique, et contentum iis quæ a fisco dantur, et si quid præter spem accesserit, et non inveneris cum custodientem tibi fidem justam: illum quidem expelles: alio vero uteris consiliario, legem et justitiam cum puris servante manibus. — § 3. Talem vero præbebis temetipsum omnibus et publice, et privatim, ut²⁰ terribilis quidem sis delinquentibus, et indevotis circa fiscalia²¹: mansuetissimus autem et mitis omnibus placidis et devotis, et paternam eis exhibens providentiam.

CAP. VI. De fide publica aut securitate non passim danda.

Sed neque hæc quæ dicuntur *verba*²², id est jururandum, prompte dare festines, in amplius tempus: sed et cum examinatione in tempore mediocri²³, et non transcendente *triginta dierum inducias*, ne ex hoc infinitè sint hominibus ad invicem contentiones. Si vero etiam aliquem sub nuncupato *verbo* feceris: deinde aliquis adierit adversus eum: deduces quidem eum, custodiens datum ei *verbum*: et examinabis negotium, *verbo* ubique servato; et si etiam contra eum sententia necessaria sit, condemnabis eum et duorum propones electionem, utrum velit dato *verbo* absolute abrenunciare, et agere quæ iudicata sunt, an non. Certe si hoc non: sacris cum terminis restituas et tibi executionem inferes temperate, et cum debita venerabilibus locis reverentia.

CAP. VII. Ut termini sanctorum homicidii, etc., non prosint.

Neque autem homicidii, neque adulterii, neque virginum²⁴ raptorum delinquentibus terminorum custodias *cautelam*; sed etiam inde²⁵ extrahes, et supplicium eis inferes. Non enim talia delinquentibus parcere competit, sed hoc patientibus: ut non talia a presumptoribus partiantur. Deinde temporum cautela non nocentibus, sed læsis, datur a lege: et non erit possibile utrumque tueri cautela sanctorum locorum, et lædentem, et læsum. — § 1. Publicorum vero tributorum exactiones etiam²⁶ intra templa decenter fieri procurabis: quoniam *fiscalium ratio et militum, et privatis ipsique templis, et cuncta reipublicæ utilis et necessaria est*. Auxiliabuntur tibi ad hoc etiam Deo amabili ecclesiarum defensores, et economi: nullum horum, qui fiscalia tributa exigunt, abripientes exactioni, sed neque permittentes violentum aut seditiosum aliquid pati exactionem inferentes: scientes quia si quid tale gesserint, de suo satisfacere fisco cogentur.

CAP. VIII. Ut cogant exactores tributorum in apochis suis exprimere quantitatem zygocephalorum.

Coges autem publicos exactores in suis de susceptis²⁷ manifesta facere omnia in quibus ea dederunt, nempe quantitatem zygocephalorum²⁸, aut jugorum, aut jugalium, aut quolibet modo per regiones nuncupantur: et pro quibus hæc et qualibet prædiis exiguntur: et daturum quantitatem, sive in speciebus, sive in auro. Et interminaberis eis, et magnum damnum, et *manus amputationem*, si hoc quod præcipitur quidem semper, usque nunc autem non custoditum est, non deinceps omnibus servent modis. Si vero (ut assolet) de elinationem inveniunt aliquam, dicentes non posse jugorum poni quantitatem: maxime quidem eos malignari putamus: sed tamen nihil hinc lædatur fisco nec collatores: fisco etenim sine præiudicio omnia sua percipiat, et solenniter celebrata suscepta percipiant si qui hæc exsolverint, nihil exigendi amplius. Causa vero in nullo lædatur, et secundum consuetudinem quidem tributa solvantur ab eis, et inferantur fisco. Nuntiatur autem ad gloriosissimos nostros præfectos de istis primitus cogendis censualibus nuncupatas *expositiones* subtiliter dare, ut ex hoc fiat causæ iudicatio: et sic interim secundum consuetudinem quidem datis fiscalibus inculpabiliter inferendis, quicquid in iis quæ dubitantur, gloriosissimi nostri præfecti iudicaverint, in iis quæ controversa sunt, hæc valere: necessitatem ha-

15. N. 8, e. 12; L. 3, in fin. D. de offic. præsid. — 16. L. 13, pr. D. d. 1 — 17. L. 6, § 3, 4, 5, 6, D. d. 1 — 18. c. 10, vers. sed neque, inf. lic. — 19. For. tit. C. de adhesionib. et D. de offic. adhesion. — 20. For. l. 19, l. 1, de offic. præsid. — 21. c. 8, inf. lic. — N. 8, c. 8. — 22. N. 128, c. 13, Edict. 2 et 13, c. 10, § 2, 3. — 23. For. l. 1, § 2, D. de iur. iur. et neque privat. — 24. c. 5, pr. sup. lic. — 25. *Adde* l. 1, § 6, § 5, C. de his qui ad eccles. N. 27, circa fin. N. 217, c. ult. § 1. — 26. d. L. 6, § 4; N. 128, c. 13, Edict. 10, c. 1 — 27. N.

bitentibus exactoribus, post cognitam veritatem super his quæstionibus, et in illis de cætero quantitatem zygocephalorum, et aliorum omnium describere, secundum quod a nobis jam ordinatum est. — § 1. Non²⁹ permittas autem curialibus, aut *censualibus*, dum vendita sunt prædia eorum, aut in alias personas mutatur possessio, tergiversationibus uti quibusdam, et non transferri a venditoribus ad emptores prædia: sed coges eos omnino facere mutationes sine damno. Si vero dixerint minus idoneos esse emptores, et propterea non fieri migrationem: hoc ipsum examinabis sine quolibet damno: et si quidem idonei fuerint emptores, coges fiscalium præsales omnibus modis et sine quolibet damno celebrare transpositionem. Si vero pro veritate eos inveneris non satis idoneos, coges venditores hoc ipsum profiteri ad gesta, quia periculo eorum transpositio fit fiscalium tributorum in eos qui ab ipsis emunt: hoc quod etiam in Oriente novimus in multis fieri gentibus. Sic enim neque fisco nocetur, et fiscalia tributa a possessoribus inferuntur, ut non alii quidem sint possessores, alii vero collatores. Oportet enim maxime contra possessores fieri collationes: sed non contra non detinentes neque possidentes terras.

CAP. IX. De protectionibus præsidum, ne provinciales angariis, etc., vexent, etc.

Illud tamen te volumus nosse: quia si quando præceperimus ad alias forte proficisci te provincias, competens est contentum te iis quæ de fisco largiuntur, non gratis expendere: neque nostros subjectos atterere, sed ex quibus in provincia consistens expendebas, ex his ipsis et ad alias proficiscentem regiones facere expensas: neque angariis³⁰ collatores affligentem, neque te, neque obediens tibi officium: sed propriis quidem subjugalibus propriæque expensa agere iter, hoc ipso custodiendo, vel si non ultra terminos properes provinciam: sed propter quandam occasionem necessariam circumeas civitates.

CAP. X.

Eos autem qui vocantur loci servatores, dare iudices in civitatibus provinciam cui præsidet, (licet spectabiles viri, vel clarissimi, vel prædes sint) omnibus interdictionibus modis. Sed neque si militis aliqui sequantur te, neque illos gratis permittas expendere, sed ex propriis emolumentis. Si vero hoc non egerint, sed ex tributis expendierint, et angarias acceperint: omne quicquid damnificabuntur subjecti, hoc ex³¹ eorum emolumentis exigens proprio periculo læsis servabis.

CAP. XI. Ut præses oblatas sibi de religione jussiones contemnât.

Neque occasione³² religionum hæresumque quæstionibus³³ permittas alicui provinciam commovere, aut aliter quandam perceptionem injungi provinciam cui præses: ipse vero providebis cum competenti utilitate fiscalibus, et quæ alia sunt perscrutari: et non permittere aliquid contra nostras fieri præceptiones occasione religionum. Si vero canonicum sit quod quaeritur, una cum metropolita provinciam hoc disponere, et decernere, sive episcopi dubitent, sive alii quidam, et causæ dare Deo amabilem, et decibilem terminum, qui et decenter orthodoxam custodiat fidem, et indemnitate procuret fiscalibus, et nostros subjectos servet inviolatos.

CAP. XII. De capitali crimine damnatis, ut bona eorum non publicentur, sed propinquis relinquuntur.

Oportet autem te, et in hoc omnem ponere providentiam, cum aliqui dignus apparuerit pena illum quidem punire, res autem ejus non contingere, sed *sinere eas*³⁴ generi et legi, et secundum illam ordinem. Non enim res sunt, quæ delinquenti, sed qui res possident, ad illi reciprocant ordinem: eos quidem qui digni sunt pena, dimittunt, illorum autem auferunt res, alios pro illis punientes, quos lex forte ad illorum vocavit successionem.

CAP. XIII. De injustis patrociniis prohibendis.

Patrocina quoque injusta, quæ cognoscimus in nostris provinciis fieri, omnibus corrige modis, non sinens ulli aliorum vitas in se suscipere, non ampliari sibi prædia nullo modo ei competentia, non in aliorum læsionem præmittere patrociniis³⁵, non quemadmodum fraudant fisco, suam virtutem objicere. Neque sit tibi cura quibuslibet sint hæc agentes domini: sufficit enim per omnia tibi ad perfectam fortitudinem et lex, et imperii favor.

28. c. 5. — 28. L. 2, C. ut nemini lic. in empt. — 29. Auth. Sed et periculum, C. sine censu vel reliquis — 30. N. 128, c. 23; 134, c. 1, vers. neque vero. — 31. c. 4, in fin. sup. lic. — 32. *Adde* l. 2, C. de summa Trinit. — 33. *Adde* Edict. 2, c. 1; N. 163, c. 1. — 34. L. 7, D. de bonis damnatis; l. 4, D. de iure patron. l. 5, D. de interd. et relig. l. 19, C. de bon. prescript.; L. 5, C. ad leg. Jul. majest.; N. 154, c. ult. — 35. Fac. tit. C. ne liceat potentioribus patrocini.

CAP. XIV. De alienis colonis, et capite censu, ut nemo eos suscipere audeat.

Sed etiam suscipientes alienos agricolas sic odio habebis, sic compelles cito reddere quod suscipiant male, ut si plurimum manserint inobedientes, omne quicquid in onus provincie est, illorum possessionibus hoc impones. Si vero in aliis provinciis agricolæ dicantur esse constituti, literis³⁶ uteris publicis ad provinciarum præsides, ut in eas fugientes³⁷ agricolæ conflentes aut convictos tradant possessionibus, et revocentur ad provinciam cui præsides, et inobedientes vehementer corripies minus doncorum abiectione. Competens enim est, talia studentem, hinc onus, et rerum diminutionem in sua facultate cognoscere: ut minoratus cognoscat, quantum est lædere, et delinquere in alios. Sed hoc ipsum age sive prædia possidentes in provincia sint, sive aliorum aliis competentium gubernatores sint. Oportet etenim et possessores illa solum habere quæ eis dat lex, et gubernatores alienarum illis præesse solummodo, quæ per conductionem aut alium legitimum eis sunt tradita modum: extraneis autem abstinere: et non providere quidem aliis, lædere vero alios et sibi met lucrum impium ex hoc acquirere.

CAP. XV. De titulis³⁸ affixis alienis prædiis.

Titulos³⁹ autem imponere prædiis alienis, aut ergasteriis in civitatibus constitutis, et superscribere sua vocabula ita præsumptibus periculoso esse scias, ut agnoscat, quia hæc agentes ipsi suam substantiam applicabunt fisco. Si enim causam soli imperio et fisco datam tentaverit aliquis arripere, in suis agnoscat experimentum: et suis rebus titulis impostis publicis, fiat aliis exemplum abstinentie: qui si isdem implicentur malis, similibus subdentur pœnis. Hæc igitur omnia observa, sciens nostram circa te voluntatem atque sententiam, qualis quidem erit delinquente te, qualis autem probato, et nostra sequente præcepta, ac leges.

CAP. XVI. Quid primum facere debeant præsides cum provinciam ingrediuntur.

Mox autem ut ingrediaris provinciam, convocatis omnibus in metropoli constitutis (dicimus autem Deo amabili episcopo, et venerabili dero, et nobilibus civitatis) insinuabis hæc nostra sacra præcepta sub gestorum insinuatione: et propones exemplar eorum publice, non solum in metropoli, sed etiam in aliis provinciæ civitatibus, transmittens ea per officiales tuos sine damno: ut omnes cognoscant in quibus suscepti cingulum, et videant, si hoc conservas, et nostro dignum temetipsum ostendis iudicio?

CAP. XVII. De armis.

Hæc enim conservata apud te faciunt præsentem tibi cingulum diuturniorem, et gloriosiorum, si quidem super alia, neque armis⁴⁰ uti non militatam permittes alicui. Hæc te et Deo, et legibus et nobis carissimum constituunt. Sed et illud providebis, ut, si quis eorum qui populum in turbas sollicitant, tentarit aliquando ab hæc magna civitate fugere aut solus, aut cum aliis, et venerit in provinciam cui præses: quatenus investigare de hoc, et examinare cum omni subtilitate et cautela [causæ] et ubi constitierit, nunciare hoc si forte dignæ inquisitione sint personæ, et adduci ad hæc felicissimam civitatem, et penas sustentare, quæ lex de talibus constituit. — Dat. 16 kal. Maji Constantinop., BILISARIO V. C. 535.

TIT. V.

DE TRIENTE¹ ET SEMISSE, ET SUCCESSIONIBUS FILIORUM ET NEPOTUM NATURALIUM²: ET COLLATIONIBUS³, VEL DISTRIBUTIONIBUS⁴, NICNON ET LITERARUM⁵ AUT NUMERATIONUM, ATQUE RERUM EX QUIBUS DETINENT, INFICATIONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. XVIII.

Imperat. Just. August. Joanni gloriosissimo præfecto sacrarum per Orientem prætoriorum, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Jam quidem magnæ huic, et ut ita quis dicat, bene a Deo constituta

36. *Adde* l. 7, D. de custod. et exhibit. reor.; N. 90, c. 5; 134, c. 5. — 37. L. 12, C. de agric. et censu. — 38. N. 164, c. 1. — 39. Fac. tit. C. ut nemo privatus titulos. — 40. *Adde* 2, Feud. 27, § 5.

Tit. V. — 1. c. 1, 5, 4, inf. lic. — 2. c. 5, inf. eod. — 3. c. 6, inf. eod. — 4. c. 7, inf. eod. — 5. c. 8, 10, inf. eod. — 6. Authent. Novissima, C. de ineff. testam. — 7. N. 22,

reipublicæ (dicimus Romanorum) plurima de testamentis disposita sunt, et pleni legum codices de talibus consistunt: et non solum sapientes antiqui hæc scripserunt, aut piorum potestas imperatorum: sed etiam a nobis jam non aliquo priorum principum minus legislationes prolata sunt: Deum vero semper considerantes, et quatenus ei placiti videamur, et aliquid bonorum dignum in nobis agamus: nitimur aliquid adinventire semper, et naturæ consequens, et quod possit priora corrigere. Frequenter igitur et alia vice mirati sumus, quomodo legitimis et benevolis filiis, quibus agunt gratias parentes, quibusque quod relinquunt, jam etiam debitum vocant: solum triumcium definitur ex necessitate relinquere: reliquum vero jacet in voluntate parentum: et capiunt quidem cognati omnia, et extranei, vel cum libertate servi: filii vero licet multi consistent: etiamsi nihil offenderint parentes, confunduntur: et triumcium dividunt solum, vel si decem forte aut amplius fuerint: et pauperes erunt filii patris, donec vixerit, idonei.

CAP. I. De legitima portione liberis relinquenda, id est, triente, si intra quaternarium numerum consistent: aut semisse, si quaternarium numerum excedant.

Hæc⁶ nos moverunt corrigere legem, et non eam despiciere semper erubescens: talique modo determinare causam, ut si quidem unius⁷ est filii pater aut mater: aut duorum vel trium, vel quatuor: non triumcum eis relinqui solum, sed etiam tertiam propriæ substantiæ partem: hoc est, uncias quatuor: et hanc esse definitam mensuram usque ad prædictum numerum. Si vero ultra quatuor habuerint filios, mediam eis totius substantiæ relinqui partem, ut sexuncium sit omnino quod debetur, singulis ex æquo⁸ quadriuncium vel sexuncium dividendo: et hoc non sub injusta circumstantia rerum (forsan enim ob hoc etiam alii injustitiam patiuntur, et alii quidem meliora, aliis vero deteriora percipientibus), sed quod contigerit unumquemque per omnia æquum esse in qualitate et quantitate, sive quis illud institutionis modo, sive⁹ per legati, idem est dicere, et si per fideicommissi relinquantur occasione: licet enim ei reliquum octuncium forte aut sexuncium habere: et largiri sicut voluerit filiis ipsis: aut cuilibet extraneorum: et natura primo curata competenter, sic ad extraneas largitates accedere: hoc observando in omnibus personis, in quibus ab initio antiquæ quartæ ratio de inofficioso lege decreta est.

CAP. II. Ut legitima portio filiorum curialium sit dodrans.

Excipiatur¹⁰ autem a nobis de curialibus nuper posita lex, quæ filiis curialibus aut filiabus curialibus nubentibus noniuncium omnino dari vult, reliquo triumcio a parentibus secundum potestatem dispensando omnibus aliis de inofficioso positus legibus, et præcipue nostris, in sua virtute servandis, et de ingratissimis¹¹ filiis, et de naturalibus¹² præter solum quantitatem, quam ad præsentem auximus secundum omnes prædictas definitiones.

CAP. III. Si liberis suis pater nudam proprietatem, et uxori usumfructum omnem reliquerit.

Prohibemus autem et illud grave existens, et habens quidem aliquam legalem occasionem, in duram tamen incidens crudelitatem et amaritudinem. Novimus enim aliqua testamenta secundum quæ morientes, non paterne, nec ut viros oportebat, sed nimis molliter atque remisse fecerunt institutiones uxoris, siquidem illis omnem reliquerunt suarum rerum usumfructum, filiis autem proprietatem nudam. Quamobrem arbitrator studium esse hujusmodi testamentis, uxores etiam proprietatem acquirere, filiis forte fame peremptis. Unde enim, et in medio gubernentur, et quotidianum habeant cibum, nihil eis derelicto, uxoris iria, forsans et irrationabili, intercidente, quæ eis etiam quotidianam gubernationem abripiat? Non licet igitur de cætero ulli omnino filios habenti, tale aliquid agere, sed *modis omnibus eis hujus legitime partis quam nunc deputavimus, et usumfructum¹³, insuper et proprietatem relinquat*, si vult filiorum non repente fame morientium, sed vivere valentium vocari pater. Et hæc omnia dicimus non in patre solo, sed et in matre, et avo, et proavo, et adjunctis unicuique femininarum personis, id est, avia et proavia, sive paterna, sive materna sint.

CAP. IV. Quemadmodum liberi ab intestato per scemininum sexum descendentes, succedere debeant.

Neque¹⁴ illo de cætero servando in nepotibus, et pronepotibus non suis, et sub potestate constitutis, minus¹⁵ tertia parte eos habere, quam

c. 48; N. 29, c. 1. — 8. L. 11, C. fam. eriscund. — 9. Mat. N. 115, c. 5, in pr. — 10. N. 58. — 11. d. N. 115, c. 5. — 12. c. 5, inf. lic. — 13. *Adde* l. 50, pr.; L. 52, L. 56, C. de inoffic. testam.; vide tamen l. 37, D. de usufr. l. pat.; L. 18, in fin. C. de excusat. tut.; L. 8, D. de usufr. adreac. — 14. Authent. Quæ tertiam, C. de collationib. — 15. § 15, Inst. de hered. quæ ab in test.; L. 9, C. de suis; L. 19, C. de collationib.

eorum parentibus viventibus oportebat relinquere testatores. Non enim excipimus ulterius nepotes, qui ex filio paternis avis accrescunt, ut illi quidem integram accipiant partem, quantum eorum acciperet pater vivens: nepotes autem ab avo per mediam filium venientes, aut avia paterna vel materna minus tertia accipiant: sed unum ordinem in omnibus ponimus nepotibus, et pronepotibus, non ferentes feminam ¹⁶ a masculo in talibus minui. Neque enim masculus ipse in se neque femina solum ad nativitatē propagationem sufficiens est: sed sicut utrumque eorum coaptavit Deus ad generationis opus, ita etiam nos eandem utrisque servamus equalitatem. — § 1. Sed nec usque in hoc statuimus legem. Hæc enim dicimus, et in illis filiis qui ex nuptiis sunt legitimi, licet non sint secuta nuptias dotes, sed affectus indubitatus, et manifestus inter conjuges existens filios præstet esse legitimos. Dotem ¹⁷ etenim celebrant, nuptiæ autem dotes ¹⁸ non faciunt, sed conjunctorum affectus. Hoc idem obtineat, et in iis qui ex posteriori ¹⁹ affectu cum dotibus secundum nostras constitutiones, legitimi fiunt: et hæc sit sanctio legitimæ soboli.

CAP. V. De concubinis et naturalibus liberis, quomodo hi ab intestato succedant.

Consideremus autem aliquid ad solam naturam clemens. Multi namque molesti sunt nobis semper, precesque crebræ, et fientes filii. *Et semper equidem clemens aliquid definimus: sed quia non hoc cum lege agimus, erubescimus: ideoque causæ etiam legem adjucentes, ipsi quidem populos removebimus: dabimus autem omnibus habere ex lege remedium.* Quia enim *testari naturalium filiorum patribus etiam ipsi dedimus, legitima quidem existente prole, usque²⁰ ad unam solam unciam quam habebunt una cum matre:* (hoc quod etiam prius fuit) *filiis autem non existentibus legitimis, usque²¹ ad medietatem totius substantiæ:* hoc dicunt a nobis posite leges, non in testamentis solum patribus concedentes hoc agere, sed etiam aliis munificentis, quas et superstitēs donant, præsens autem lex de iis quæ ab intestato sunt, loquitur, et novi aliquid introducit. Nunc enim si *quis moriens legitima sibi penitus sobole non existente* (filiorum dicimus aut nepotum, aut cæteræ successiois) *neque²² uxore legitima, proinde moriatur, non disposita substantia, et veniat cognatio forsan, aut certe manumissor bonorum possessionem movens, et insurgens, aut etiam nostrum ævarium:* (nec enim illi quantum ad hoc parcimus) *sit autem ei domi donec vivit, libera mulier in habitu concubinae cum eo degens, et filii ex ea* (talibus enim solis hæc sancimus, ubi omnino indubitata sunt sive concubinae in domo habitæ, sive naturalium ibidem proles) *et nutrimentum damus eis, et intestato parentibus morientibus duas habere uncias paternæ substantiæ, cum matre partiendas, quantumcumque fuerint filii, ita ut proportionem unius filii, et mater accipiat.* Et hæc dicimus si uni concubinae cohabitaverit, et filios ex ea habuerit, aut præcedente concubinae morte forsan aut divisione, filii domi sint: tunc enim damus eis ab intestato duarum unciarum successioem. *Si²³ autem confusa concupiscentia ita fiat, ut alias superinducat priori concubinas, et multitudine habeat concubinarum fornicantium* (sic enim dicere melius est) *et ex eis filios faciens moriatur, multas simul relinquens concubinas: odibilis quidem nobis est iste, qui talis est: procul autem omnibus modis ab hac lege expellatur.* Sicut enim quis legitimæ uxori conjunctus alias ²⁴ superinducere, non poterit matrimonio consistente, et ex eis legitime filios procreare; sic neque post cognitam (quemadmodum diximus) concubinam et ex illa filios dabimus, si aliud opus libidinis egerit, etiam hoc ad successioem ejus introduci, si mortuus fuerit intestatus. Nam si hoc non constituimus, indiscretæ erant mulieres, quam magis, aut quam minus amaverint: indiscreti etiam filii: et nos non præbeamus luxuriantibus, sed caste viventibus legem. Non autem distinguimus de filiis sive masculi sive feminae sint. Sicut enim natura nihil circa hoc arte ratiocinatur: ita nec nos alteram in masculis, et alteram in feminis secundum hoc ponimus legem. Valebit itaque hæc lex nobis in futuris, et maxime omnium hæc: quoniam earum quæ dudum non recte tenebant plurima et emendavit, et explanavit: et quod præterit ²⁵, non potest ab ea quæ nondum erat, regulæ subijci. Hæc a nobis de prædictis successioibus sunt sancita.

CAP. VI. De collationibus dotis²⁶, vel donationis propter nuptias.

Illud ²⁷ quoque bene se habere credimus hac lege complecti: prioribus enim legibus volentibus, in collationibus si quidem sine testamento

¹⁶ d. l. 13, d. l. 5, d. 25. — ¹⁷ l. ult. in pr. c. de donat. ante nupt. — ¹⁸ l. 11, in fin. pr. c. de repud. — ¹⁹ N. 89, c. ult. § ult. Inst. de nupt. — ²⁰ l. 2, c. de natural. liber. d. N. 89, c. 12, in pr. et § 2. — ²¹ l. 8, c. de natural. liber. d. c. 15, § 1: obrog. § 3, d. c. 12. — ²² d. c. 12, § 4. — ²³ d. c. 12, § 4. — ²⁴ l. 7, in fin. c. de iudicis; l. un. c. de concubin. — ²⁵ l. 7, c. de legib. — ²⁶ N. 97, c. 6. — ²⁷ Auth. Ex testamento, C. de collat. — ²⁸ Arog. l. 2, d. 6, D. l. 1, C. de collat. — ²⁹ Arog. l. 35, l. 59, § 1, D. famill.

morentur parentes, collationes secundum earum virtutem fieri: si vero testati nihil dicentes de eis, locum non fieri collationibus, sed res habere per dotem forte aut alio modo datas: et quæ sunt reliqua defendere: Nos sancimus, ut *omnino talem opinionem: sed sive quisquam intestatus moriatur, sive²⁸ testatus, quoniam incertum est ne forsan oblitus datorum, aut præ tumultu mortis angustiatum, hujus non est memoratus, (omnino esse collationes, et exinde qualitatem, secundum quod olim dispositum est, nisi expressim²⁹ designaverit ipse se velle non fieri collationem, sed habere cum qui cogitur ex lege conferre, et quod jam datum est, et ex jure testamenti: omnibus quæ prius de collationibus a nobis sancita sunt in sua virtute maudentibus.*

CAP. VII. Si res suas pater inter liberos distribuere voluerit.

Et quod sæpe nobis judicantibus placuit, necessarium credimus nunc partem fieri præsentis legis. Frequenter enim quidam plurimorum filiorum constituti patres, deinde putantes mox substantiam dividere, ut a fraterno certamine eos præservent: ad majores adhuc et sæviore eos contentiones adducunt. Cum enim oporteret, si hoc vellent, aut aperte omnia dividere in testamentis suis, aut si non hoc vellent, partes facere, et eas subscribere, et sic indubitata dare filiis divisionem: at illi non hoc faciunt, sed partem quidem aliquam per se ipsi scribunt, et neque hanc continue, sed forte interscriptam alterius cujuspiam literis, et in descriptione abjecta, et nulla custodia digna positam: residua vero pars nequaquam illorum est manus, sed subscriptoris cujuspiam forte corrupti, aut cujuscumque: et hinc illis litium occasiones decies millies, utrum hæc voluntate gesta sint patris, an alicujus artificis operarii certaminis et contentiois, et ad favorem partis alicujus scribentis. Hæc nos molestare de cætero nostros subiectos nolentes sancimus: *Si³⁰ quis voluerit³¹ suas res filiis aut divideret aut omnes, aut etiam aliquas forte relinquere præcipuas: has maxime quidem, si possibile est, dicat in testamento, et indubitata det filiis hinc utilitatem. Si autem hoc non agat, propter aliquas necessitates, quæ plurimæ circumassistent hominibus: licet tamen descriptiones facere verum quas partiri voluerit: et subscribere³² omnibus aut ipsam aut filios universos subscribere præparare, inter quos res dividet, et ex hoc causæ dare indubitata fidem et quod secundum hanc sit speciem, ratum sit acque firmum, aliæque cautela non indigens. Si vero aliquis hoc non egerit, sed dispersam (sic ut plerumque) sine testimonio subscriptionem fecerit: sciat nihil hinc filiis esse præbiturum utilitatis: sed quasi nihil sit factum, dividet substantiam filii, in certas et plerumque sine testimonio conscriptiones non sequentes: neque iudicibus causæ (quos iudices familiæ eriscende leges appellant) hæc sequi cogendis. Oportet enim providere subtiliter cautela filiorum, et non aliud quidem minuire, aliud sub errore relinquere, quod difficile insuper et insolubili, crebro etiam crimina ferentium causarum occasione præstat. De successioibus itaque et collationibus et aliis quæ prædicta sunt, usque in hoc sancitum sit.*

CAP. VIII. Si quis prolatam manum suam negaverit.

Studium vero malevolentia quod fit ab aliquibus, necessarium nobis fecit plebis denuo legislationem approbare: quam per quendam suorum protulit tribunorum ³³, et quæ Aquilæ nuncupationem ab illo suscepit: secundum quam *pro abnegatione duplicibus³⁴ subdebat exactionibus malevolentes, et abnegare tentantes, ubi etiam aliæ quadam actiones ad eundem cooptate sunt ordinem, sed paulatim mutata clementia, ablata est, quæ consuevit iniquorum enutrire malevolentiam. Quamobrem etiam nobis necessarium visum est indecentes et turpes abnegationes prædictæ pœnæ subijcere: Si³⁵ enim protulerit aliquis scripturam, alter autem eam negaverit, cum hæc literas ejus habeat, ita ut necessitatem³⁶ patiatur actor causas pati circa probationem ejus, aut literas quidem suscipiat; dicat autem, Non solum debitum sibi, et probaverit, hoc legitimis modis actor: condemnationem adversus eum duplicem in utroque casis fieri sancimus: non quia amarioribus legibus delectamur, sed quia lites eorum minores efficiamus: quatenus timore pœnæ citius dicant quod confiteri competit. In talibus itaque omnibus modis condemnationem hoc fieri volumus modo: et si præter hæc egerit iudicem scire, quia transcendens legem ipse tenebitur his pœnis. Hæc autem dicimus nisi probationibus actor abrenunciatis, sacramento rei usque nunc abnegationem factam solvi voluerit. Si enim tale aliquid egerit: si quidem mox ab initio post abnegationem intulerit iusjurandum, et ille con-*

eriscit: l. 14, D. de dote prælegat. — ³⁰ Auth. Si modo, C. famill. eriscit. — ³¹ l. 8, c. de inoffic. testam.; l. 16, l. ult. C. fam. eriscit.; l. 20, § 3; l. 59, § 1, D. fam. eriscit. — ³² N. 107, c. 5. — ³³ l. 1, in fin. D.; § 15, Inst. ad leg. Aquil. — ³⁴ l. 2, § 1; l. 25, § 10, D. l. 4, C. d. t.; § 1, vers. at adversus inficientes, Inst. de pœna temere litig. — ³⁵ Auth. contra qui propriam, C. de non num. pecun. — ³⁶ l. 2, D. de probat.

tinuo confessus fuerit quod in negationem deductum erit: sine periculo erit quantum ad duplum. Si vero longiori facta lite, tunc actor inferat sacramentum, at ille etiam sic quod inferatur, profiteatur, de dupli quidem eum eximimus pœna: omnes vero expensas ³⁷ quæ usque tunc factæ sunt propter probationes, actori iurjurando ejus definitas, exsolvere cum qui ab initio quidem negavit, postea vero confessus est, jubemus. Si quis autem adnumerationem in se factam pecuniarum negans, postea utatur solutionibus ³⁸ a se factis: tali homini nullam utilitatem horum quæ vere soluta sunt, esse sancimus, sed totum eum debitum exigi præcipimus, et hanc solam sustinere negationis pœnam: hoc quod etiam quidem ante nos imperator constituit: nullo judicantium neque in hoc flectendo, sed integritatem legis custodiendo. Si autem etiam reus proferat literas actoris, deinde ille eas neget, at ille probet eas, non solum illud repetetur de quo negatio fuit, sed etiam tantum aliud adijciatur. Illic quoque de iurjurandi datione similiter etiam in actore introducat ratio.

CAP. IX. De tutore, vel curatore inficiatore.

Si vero lis agatur per curatores nimirum pertiens ad personas quæ curatoribus indigent, hujusmodi negationis pœnam (quando in ipsorum curatorum fuerit literis) non adversus eos quorum sunt curatores, sed adversus eos ferri, qui turpem et indecentem hanc negationem fecerint. Si vero aliud condemnationis augmentum aut in duplum, aut in triplum, aut in quadruplum ab antiquis legibus: aut principum introductum est constitutionibus: maneat quidem illud secundum propriam formam, sicut nos illud in nostris Institutis et Digestis et Constitutionum libro sancimus: hoc autem nunc augmentum priorum sit.

CAP. X. De improbis possessorum exceptionibus.

Illud ³⁹ quoque in iudiciis arbitramur oportere melius quam omnes ante nos determinare, et constituere. Si quis enim conventus fuerit res habere alterius: ille vero dicat *res non esse illius de quo dicit actor*, et cogatur qui actionem inferat, aut documentis, aut testibus, aut aliis uti laboribus, ut ostendat *res illius esse*: postea vero is qui semper abnegaverat *illius hoc non fuisse*, uti voluerit illius jure, et dicere quia ex hypothea aut aliis causis in illam personam relatis propinqua est, quam ille qui causam movet: aliæ quidem sententiæ vacant, quæ prioribus nostris placuerunt: mediocres autem quædam, et clemens, et ipsi causæ conveniens pœna abnegantibus inferatur: pro abnegatione namque circa hoc, et actoris laboribus dum adhuc causa dicitur, ad ⁴⁰ actorem transferatur rerum, de quibus est quæstio facta, possessio: licentiam habente eo qui hanc reddet, si qua jura habeat ex illa persona, de qua prius negationem passus est, competentia sibi hæc proponere, et legum justitiam promereri, pœna in sola translatione possessionis constituta. Hæc a nobis pro successioibus, et collationibus, et distributionibus, et litigantium cautela, et ut multitudine litium minuat, et inventa sunt, et sancita: et de cætero tenebunt: quatenus et successiones agnoscant, et collationes non ignorent: sed circa distributiones non resultent: et neque petulantes suarum literarum abnegationibus insiliant malignari volentes, neque annumerationes abnegent, neque postea forsan solutionibus utantur, neque rec ex quibus detinent, abnegent personis, sed mediocres, et mites ex causis ostensi, mediocri etiam potiantur iudicio.

CAP. XI. Quomodo concubinae servilis conditionis constituta legitime uxores fiant.

Quod autem ab aliquibus maligne dubitatur, in quibusdam nostris constitutionibus, et in iudiciis quidem plurimis motum est: cum sit justum ulterius non quæri, præsentem conjungimus legi. Constituentibus enim nobis, ut si quis respexerit aliquam mulierem clemens, et hanc sortiarum absque dotalibus documentis, deinde faciat filios: postea vero maritalem ad eam receperit affectum, et scripserit hujusmodi instrumenta, et fecerit filios: non solum eos qui post hoc nati fuerint filii, sed etiam priores esse legitimos, et propter circumvenientium, et maligne interpretantium calliditatem: etiam jam aliam scribentibus constitutionem: quia hæc volumus tenere, licet secundi non sint nati post dotem filii, aut existentes moriantur: adinverunt quidem etiam aliam dubitationem, non recipientes hæc tenere in iis qui libertas copulantur: cum utique recte conjicientibus nostram intentionem etiam hoc fuerit jam sancitum. Si enim ad libertatem non omnino nuptias prohibentur: certum fuit quia etiam in illis hæc tenere volumus. Sed quoniam utique hoc dubitatum est: sancimus, *Si⁴¹ quis uxorem non habens legitimum, aut filios legitimos, ad ancillam propriam habuerit quandam meliorem sententiam, et filios protulerit ex ea in servitute constituta: postea vero li-*

³⁷ l. 17, c. de iudicis. — ³⁸ l. 45, in pr. D. de reg. jur. — ³⁹ Authent. Item possessor, C. qui potior. — ⁴⁰ l. ult. C. de rei vind.; l. un. C. uti possidet; l. 6, in fin. D. de Carbonario. — ⁴¹ Authent. Sed nova, C. de natural. liber. — ⁴² N. 78, c. 1.

bera: e honoraverit, et ancillam et natos, et jus eis aureorum petierit annulorum, et regenerationis⁴², et inter ingenuos secundum justos reduxerit modos, et nuptias consummaverit, postea vero nuptialia conscripserit documenta, et aut fuerint filii postea, aut non fuerint, (ut utriusque nostræ constitutionis amplectamur casus) sit et uxor legitima et filii sub potestate ipsius, et sui, et ab intestato heredes genitori: (dicimus autem eos qui ante nuptias nati sunt) his viis per quas ad ingenuitatem, secundum quod prædictum est, venerunt, et celebratione postea dotalium, jus legitimum eis præbentibus.

EPILOGUS.

Tua igitur excellentia, quæ bene nobis et sancte visa sunt, et pro nostrorum quiete adinventa; omnibus gentibus, quibus præes, per præcepta propria faciat manifesta: ut agnoscant quia nulla maxima cura per quam semper aliquid adijcit Deus nostris sceptris, extra nos consistit pro eorum solitudine et providentia. — Datum kalend. Maji Constantinop., post consulatum BELISARI V. C. CONS. 537.

TIT. VI.

DE FILIIS ANTE DOTALIA INSTRUMENTA NATIS.

NOVELLA CONSTIT. XIX.

Imp. JUSTIN. AUGUST. Joanni gloriosissimo sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli et patricio.

PREFATIO.

Pervenit ad nos dubitationem vanam quibusdam incidisse, si quod sancitum est a nobis de filiis procreatis ante dotalium celebrationem, postea dotalibus factis, non etiam in præteritum feratur in iis quæ non decreto aut transactione sunt terminatæ questionibus. Nobis utique cum particulariter poneremus leges, expressim in prima² constitutione quæ hoc sancivit memorantibus, ut sive supersint eis patres, sive defuncti sint, nondum tamen hujusmodi questiones aut sententiis aut transactionibus susceperunt terminum: omnino ita judicari sicut nostra dicit lex, quam complentes, etiam secundam³ posuimus legem, eadem valere sancientes, etiamsi non post dotes procreentur filii, aut procreati moriantur, nihilominus et ante dotes natos legitimos esse, et in hanc quoque secundam nostram constitutionem similiter adjecimus, oportere ejus legislationem et ad seniores⁴ referri tempora, exceptis illis causis, quas aut judicialis sententia, aut transactio terminavit. Sed quoniam quidam post has nostras claras leges audaci mente nostram præsumpserunt male interpretari legislationem et sensum: tertiam⁵ coacti sumus exponere constitutionem, per quam jussumus, *si quis legitimum uxorem habens, et legitimos ex ea filios: deinde ea moriente, aut matrimonio repudio soluto, habuerit filios ex aliqua, ad quam nuptiæ non interdiciuntur: postquam vero hi nati sunt, dotalia confecerit in eam documenta: legitimos etiam ita ei natos filios existere.* Sed quia in ipsa nostra constitutione non adjecimus aperte valere hujusmodi legislationem, etiam in illis quorum patres adhuc supersunt, aut defuncti quidem sunt, contentio autem neque judiciali sententia, neque amicabili interventione decisa est: hinc quidam arbitrati sunt nos nullatenus velle ea quæ in memoratis continentur legislationibus de filiis qui ante celebrationem dotium nati sunt, valere etiam in illis qui ante hujusmodi legislationem nati sunt, et maxime eo, quod hujus pars in prima et secunda constitutione posita, ablata sit a nobis in Codicis compositione. Quod absurde arbitrati sunt. Justissime namque et primæ et secundæ hoc subtraximus constitutioni, et tertiæ non adjecimus; in particularibus namque positis legislationibus necessarium erat forte hanc accipere in præterito legislationis relationem: in omni vero coærvatione legum Codicis cognominis nostri recte abscondere talia proposuimus: quatenus non multitudine superflua in Codice scriberetur. Tertia vero constitutione non adjecimus aliquid de temporibus, cum omnibus manifestum sit, oportere ea quæ adjecta sunt, per interpretationem in illis valere, in quibus interpretatis legibus sit locus.

CAP. I. Ut caput ultimum Novell. XII ad præterita pertineat nondum iudicata aut transacta.

Quia vero omnino emergerunt quidam et de sic manifestis se dubitare contententes, vel errantes, hanc adjecimus legem, sancientes in prædictis tribus constitutionibus factam a nobis legislationem valere, in qui-

Tit. VI. — 1. N. 12, c. 4. — 2. L. 10, C. de natural. lib. — 3. L. 11, C. d. t. — 4. L. 7, C. de legib. — 5. N. 12, c. ult.